Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 677

Quelle:
Copyright:

to, minioque vario, Sec. ut puto, XIV. inſcripta ſunt ad modum *Necrologii Nomina Plebanorum mortuorum* Parochiae *Chotikow* Archidiaconatus *Plznenſis*, ut in *Miſcell. Balbini Dec. I.* L. V. p. 30. reperio, dein *Nomina Vicariorum*, tum *Patronorum* et demum *Laicorum mortuorum* cum Uxoribus.

CCXVII. VII D. 16

254 Codex membraneus lat. Sec. ſaltem XII. Folior. 100. f. luculente ſcriptus et rubricis enotatus *Dionyſio Areopagitae* ſuppoſita continet Opera, quae Doctorum conſenſu ad Seculum IV. vel V. referuntur, quanquam de Autore nihil certi hactenus ſtatui poſſit. Habentur vero hic ex verſione *Johannis*, quem Codex *Jerugenam*, alii *Erigenam*, *Juernigenam*, *Erjugenam*, *Heruligenam*, *Scotum* ſeu *Scotigenam* appellant, de quo vide, quae congeſſit *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat.* L. 9. et *Lambecius* L. VIII. p. 183. edit. *Kollar. col.* 385. Mihi, quidquid id ſit corruptionis, ex antiquo *Hiberniae* nomine *Erin* vel *Jerne* prognatum videtur, neque obſtare *Scoti* appellationem, cum pluribus exemplis doceri poſſit, harum duarum Inſularum Scriptores olim non raro confuſos fuiſſe. Verſionem porro hanc ſuam appulſus in *Galliam Johannes Carolo Calvo* Imp. intra an. 840 — 77. inſcripſit, reduxque in *Angliam*, ſcholae *Malmesburienſis* rector, idem cum D. *Caſſiano* fatum expertus dicitur, a diſcipulis anno 883. vel, ut alii 84. aut 86. graphiis confoſſus. Extat haec Verſio, quod non obſervarunt *Lambecius* et *Kollarius*, pluries prelo ſubdita, puta *Argentinae* 1502. f. *Coloniae* cum elucidatione *Dionyſii Carth.* 1556. f. cui meliores aliae ſucceſſere, ut notum. — Sed ad *Codicem*. Initium facit: *Argumentum in ierarchyam dioniſii.*

Prima ierarchia patet hac in theoloya.
Prima uel eximia. tres una ſunt in uſya.
Altera theotenus. tria terna uel ordo nouenus.
Tertia ſacratus. hominum chorus atque ſenatus.
Prima regens alias per ſacras theophanias.
Hanc prius in primos. medios diſponit et imos.
Hanc poſt hos primis. mediis coniungit et imis.
Sed loca cunctorum diſcernit ſors meritorum.

Abſunt haec ab impreſſis, uti et ſubjectum Diſtichon:

Altius iſte chorum tranſcendens theologorum.
Summa ierarchie. ſcripſit ſecreta ſophie.